

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Andreae Alciati Emblemata

Alciati, Andrea

Patavii, 1661

Parem delinquentis & suasoris culpam esse. Emblema CLXXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

Parem delinquentis & suavoris culpam esse.

EMBLEMA CLXXIV:



PRAECONEM lituo per stantem classica victrix
 Captivum in tetro carcere turba tenet.
 Quis ille excusat, quod nec sit strenuus armis,
 Vllius aut seuo laeserit ense latus.
 Huic illi: Quin ipse magis timidissime peccas,
 Qui clangore alios aris in arma cies.

COMMENTARIUM.

- I. **M**ILITES duo tubicinem, tuba velo ornata & deceti habitu instructi, decinent, quem videntur de exercitu abstractum cautissimè ducere.
- II. **E**x Aesopi apologo, de tubicine in bello capto, qui se insocem predicabat, quod nullum occidisset, sed neq; in quemquã gladium distinxisset, qui mox audiuit: *πῦς, εὐν*
Διὰ τὸν γὰρ κάρλον τῆν ἡξῆ, ἔτι σὶ μὴ σε excusa
δυνάμενος πολεμῆν, τὸς πάντας πρὸς σὶ.
μάχην ἰδέεις sed idè magis tibi moriendum est, qui cum pugnandi sis expertus, alios omnes ad pugnam concitas. Etenim (quod aiant iurcontulit) Qui agunt, & Agentes
 Zz 3 qui et consens.

quasi assensum præbent, pati supplicio afficiendi sunt: & satis ipse facit, qui per alium puniatur. facit.

III.
Præcones,

PRÆCONEM] tubicinem. Præcones dicuntur à præcinendo, quasi præcanes, quod antè canant, & annuncient quid faciendum sit. Sunt enim præcones proprie ij, qui iussu magistratus publicè aliquid denunciant, qui auctorem faciebant, & qui audientiam in theatris indicabant. Et quia publicæ istæ denunciations plerumque fiebant præmissò tubæ sono, hinc præco pro tubicine vsurpatur: nam & duces militares mandata sua per tubicines denunciant.

Lituus
quid sit.

Lituus] Lituus (vt Festus ait) appellatus est, quod litis sit testis. Est enim genus buccinæ incuruæ, quo qui cecinerit dicitur Liticen. Ennius:

Inde loci lituus sonitus effundit acutus.

Charisius lib. 1. Lituus genus tubæ minoris fuisse dixit. Acron ad odam 1. Horatii: Lituus incuruus fuit, sonumq; habuit acutū, vt tuba granem: Lituus equitum fuit, peditum tuba. Interim tuba & lituus non rarò confunduntur. Ouidius 3. Fastor.

Iam lituus pugna signa daturus erat.
Lucanus de bello ciuili: Iam litui strepunt.
Ammian. Marcell. 3 1. lib. Cumq; arma ex latere omni concuterentur, & tela lituosque Bellona luctuosos inflaret. Est etiam lituus, baculus ille, quo ad augurandum præfici vsi fuerunt.

Classicum
canere.

Perstantem classica] Classicum canentem, excitantem bellatores ad pugnam. Classicum canere, est signū dare, quo milites pugnare incipiant: cui opponitur, Canere receptui. Virgil. ad finem 2. Georgic.

Nec dum etiam audierant in flauis classica.
Hæc communis est opinio, sed quid alij sentiant videamus. Classicum nullius fuit ordinis militum, sed solius Imperatoris; atque eo duntaxat præsentem classicum canebatur, fuitq; in sine imperii, vt Modestinus, & Vegetius lib. 2. cap. 12. tradiderunt. Hinc à Propertio lib. 3. eleg. 2. nominatur Prætorium.

Nil tibi sit rauco prætorica classica sornu Flare.

Liuius lib. 27. Classico canebatur, cum soncio aduocabatur ab Imperatore; vel extremo supplicio in aliquè anima luer-

tebatur. Sed alijs quoque de causis classicum canebatur Liuius lib. 2. Prima luce classico signū protectionis dedit. Quid autem fuerit classicum, haud dictu procliuè est. Seruius ad illa verba Virgilij 7. Æneid. Classica iamq; sonūs, classicum & tubam flexilem, & sonum ipsum, qui tuba emittitur, significare dicit. Priscian. lib. 5. de 12. vers. Æneid. classicum tubam esse dicit, & quod ea vterentur classes equitum, classicum appellatum. Viderur consentire Suetonius in Julio cap. 32. Raptā ab vno tuba, prosiluit ad flumē, & ingenti spiritu classicum exorsus pertendit ad alteram ripam. Varro lib. 4. de lingua Latina, classicum cornu fuisse significare videtur. Isidorus quoq; lib. 18. classica dicit esse coruam, quæ conuocandi causa erāt facta, & à calando classica appellata. Sed fortè verisimile est, apud Imperatorem omnes simul tubicines, cornicines, liticines, cæterosque certo quodam sono cecinisse, idq; appellatum classicum. Polybius enim lib. 14. scribit, Romanorū fuisse consuetudinem, vt cæne tempore cuncti tubicines ac buccinatores simul ante prætorium canerent, quod signum erat, vt nocturne vigiliæ suis locis disponderentur. Dio lib. 47. scribit, sub initium certaminis tubicines in orbe cōstitutos certum modulationis genus cecinisse: quo milites monebantur, vt in ordine starent, armaq; expeditent. Et hoc aliquis forsā classicum possit interpretari; quod quidem proximè ad communem opinionem accedit.

Victrix turba] Victrices copiarum.

Quis ille excusar] apud quos victores exculat sese præco ille captus.

Quod vix sit strenuus armis] πολεμικὸς, σπαρτυρός, quod nec sit bellator, nec quemquam manu interfecerit.

Quin ipse magis peccas] eò grauior tua culpa, qui alios ad bellum concitas. Frustra legis auxiliū implorat, qui in legem committit. lauxiliū, 78. in fine, ff. de minorib.

Clangore aris] tubæ sonitu. Metonymia in dictione, aris, pro, tubæ. Virgilius 6. Æneid.

Ære cæro viros, Martiq; accendere cantu.

EMBLEMA in eos torquetur potissimum, qui oratione & consilio Principes ad suscipienda bella inflammant, cum ipsi suosores pugnam

Classicum
quid sit.

IV.

Bellorum
suosores.

pugnam detrectent, nec vlli sese periculo patrie aut Principis nomine committant: quibus quidem certe nullus probabilis esse potest consilii tam nefarii pretextus, cum ipsi reuera sint nocentiores, matiusq; detrimētum eminens lingua caeteris adferant, quàm qui cominus gladijs decertāt. Siquidem homo perniciosus suscitāt lites, & perversus separāt principes, vt habetur apud Hebræum patrem iustitiam, Proverb. 16. Nulla enim sorte irriteret Martis violentia, nisi antecederet eiusdem committendi persuasio. Vel de iis intelligitur, qui cruore quidem manus non tingunt, at nihilominus parricidii faciendū consilium suggerunt. Occurrit illud Demosthenis de patre cuiusdam sacerdotis, quē Braurontiam appellat, Is, cum alterum quispiam occideret, impellebat & hortabatur ad id facinus. Palam erat hominem mortuum ne digito quidem ab eo tactū, sed ab occisore duntaxat; ita vulgō iudicabatur non teneri cædis. Sed Areopagitarum aliud iudicium fuit, qui censuerunt eum, qui suadendo iuisset, eodem obstrictum scelere. Nam cōstet homines audaciores fieri adhortatione: nec solum manu, sed etiam voce & proclamatione opē & auxilium ferri. Itaq; ille damnatus, & in exilium pulsus est. Aristot. 1. Rhet. argumentum citat, quo vsus est orator Leodamas aduersus Callistatū dicebat enim eum, qui consilium dedit, magis in culpa esse, quàm qui scelus commisit: quia scelus admittit non esset, nisi eius auctor & consultius aliquis extitisset: Ciceronis exemplum vñ proferam ex oratione in Pisionem: Quid interfuit inter Catilinam, & eum, cui tu senatus auctoritatem, salutem civitatis, totā Remp. provincie premio vendidisti? Quæ enim L. Catilinam conantem consul prohibui, ea Pub. Clodium facientem consules adiuverunt. Voluit ille senatum interficere, vos sustulistis: leges incendere, vos abrogastis: irentem patriam, vos adiuvistis. Quid est vobis Cons. gestum sine armis? incendere illa coniuratorum manus voluit, vrbem: vos eius domum, propter quem vrbis incensa non est. Ac ne illi quidem, si habuissent vestri similem consulem, de vrbis incendio cogitassent. Huc facit M. Quintilian. declamatione 170. Satis ostendit ipsa pœna, inquit, cum teneri, qui idem commi-

serit, quod si occidisset. Neq; enim grauius quicquam aduersus eum, qui sua manu interfecerit, constituere potuit legum lator, quàm aduersus eum, qui causam prestisset. Ergo & similitudine pœnæ etiam criminē par exigere debetis. Hęc ille. Cæterum cum hoc nostro Emblemate magis conuenit quod Leodamas, de quo proximè dicebat, cū in maiore culpa esse, qui facinus commiserit, quàm qui consilium dedit; cōsiliū enim nullus est momenti, nisi sit qui illud sequatur. Et interitus causam, non interitum spectari oportere, dixit in Milontana disertus orator. Vlpianus etiā, vt est in l. 1. de iniuriis: Non solum is iniuriarum tenetur, qui fecit iniuriā, hoc est, qui percussit, verum ille quoq; continetur, qui dolo fecit, vel qui curauit vt cui mala pugno percuteretur. Eodem recidit l. 15. ad l. Cornel. de sicariis vbi idem Vlpianus ait, Nihil interesse, occidat quis, an causam mortis præbeat. Ad hanc quoq; sententiam multa alia iuris pronuntiata pertinent. In l. Mela, ff. ad l. Aquil. Ferens auxilium facit delicti participē. Imò, quod in vetere mimo: Bis peccat, qui peccanti auxilium accommodat. Et qui occasionem damni dat, damnū deditse videtur. L. qui occidit, §. pen. eod. tit. ad l. Aquil. Et qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, l. ita tamen, De adm. tut. C. qui per alium, de regul. in 6. Sed vnus tamen factum alios in periculum trahere non debet, l. illicitus, §. sicut, de off. praesid. Multa quoq; Doctores in c. 1. de officio deleg. & in c. notum, 2. q. 1. & l. si quis seruo, C. de furt. Imò consentientes grauius delinquere & puniri, quàm ipsos agentes, habetur, planè in c. qui aliorum, 2. q. 3. & in c. qui consentit, 1. q. 3. Quin idem euāgelica etiā lege edicitur: Non solum (inquit Apostolus ad Roman. 1.) qui mala faciūt digni sunt morte, sed etiam qui consentiunt facientibus. Offert sese locus elegans Hieronymi epistola ad Celsarium: Malitiam, odium, atq; inuidiam (quæ vel maxima, vel sola sunt nocendi semina) à se propellat anima Christiana: neque manu tantum aut lingua, sed corde quoque custodiat innocentiam: nec opere modo, sed voto etiam nocere formidet. Quantum enim ad peccati rationem attinet, nocuit & q. nocere disposuit. Sed ne videat

Et qui fecit, et qui sunt iniuriis, tenetur.

falcem in alienas messes longius immittere, vna aut altera nostrorum autoritate totam rem concludam. Audi ergo Plautinam musam: *Qui monet, quasi adiuuat.* Lucanum:

*Qui monet, aliu-
nas.*

..... *Facinus quos inquinat, aequat.*
Quidam s. Trist. eleg. 15.
Qui monet ut facias, quod iam facis, ille

monendo


Laudat, & hortatu comprobat acta suo.
Laeli demum Ciceroniani senilis est sententia: *Improbis pœna statuenda est: nec minor verò iis, qui secuti erunt alterum, quàm iis, qui ipsi fuerint impietatis duces.* At nunc CAVE CANEM.

Alius peccat, alius plectitur.

EMBLEMA CLXXV.



ARRIPIT ut lapidem catulus, morsuq; fatigat,
Nec percussori inuina damna facit.
Sic plerique sinunt veros elabier hostes,
Et quos nulla grauat noxia, dente petunt.



COM-